

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Relinquere o cum fonte primo

Multum enim reliquit qui sibi nichil retinuit, multum reliquit qui quamlibet parum totum deseruit. Certe nos et habita ex amore possidemus et ea que minime habemus ex desiderio querimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimiserunt quando uterque desideria habendi dereliquit. Multum dimisit qui cum re possessa eciam concupiscentiis renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt.

Gregorius omelia V.

Multum reliquit qui sibi nihil retinuit, multum reliquit qui quamlibet parum, totum deseruit. Certe nos et habita cum amore possidemus, et ea quae minime habemus ex desiderio quaerimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 1, 5, 2 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.34, ll.18-25).